

T. LVCRETI CARI

semina habere cavas nubis et multa necessest  
concipere ex solis radiis ardoreque eorum.  
hoc ubi ventus eas idem qui cogit in unum  
forte locum quemvis, expressit multa vaporis 275  
semina seque simul cum eo commiscuit igni,  
insinuatus ibi vertex versatur in arto  
et calidis acuit fulmen fornacibus intus.  
nam duplici ratione accenditur, ipse sua cum  
mobilitate calescit et e contagibus ignis. 280  
inde ubi percaluit venti vis (et) gravis ignis  
impetus incessit, maturum tum quasi fulmen  
perscindit subito nubem, ferturque coruscis  
omnia luminibus lustrans loca percitus ardor.  
quem gravis insequitur sonitus, displosa repente 285  
opprimere ut caeli videantur templa superne.  
inde tremor terras graviter pertemptat et altum  
murmura percurrunt caelum; nam tota fere tum  
tempestas concussa tremit fremitusque moventur.  
quo de concussu sequitur gravis imber et uber, 290  
omnis uti videatur in imbrem vertier aether  
atque ita praecipitans ad diluviem revocare:  
tantus discidio nubis ventique procella  
mittitur, ardenti sonitus cum provolat ictu.  
est etiam cum vis extrinsecus incita venti 295  
incidit in calidam maturo fulmine nubem;  
quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille  
vertex quem patrio vocitamus nomine fulmen.  
hoc fit idem in partis alias, quocumque tulit vis.  
fit quoque ut interdum venti vis missa sine igni 300  
igniscat tamen in spatio longoque meatu,  
dum venit, amittens in cursu corpora quaedam